Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

rens Burghardus fuit Comes de Moosburg, frater Ber-
tholdi) et amicis meis, ego quidem in Dei nomine
Bertoldus Episcopus, filius quondam Purchardi (scil-
licet senioris) qui professus sum ex nacione mea le-
ge vivere Bawariorum, sed nunc propter Ecclesiä-
stico -- Romana, amicus bene cupiens atque dona-
cione infrascripta dedi castrum Attens et recepi
bonum Lannechild. Sic Bertholdus electus, sed
nunquam confirmatus Episcopus Salisburgensis, Co-
mes de Moosburg et Attemsii dominus fuit. Per-
mutatio tamen ista, de qua instrumentum, non ha-
buit effectum - quia Bertholdus eodem anno 1106,
vel sequentis initio obiit. Sic castrum Attensium
Burghardus junior Bertholdi frater retinuit, bo-
num vero Lannechild penes Machtildem remansit
usque ad annum 1122: quo illud pro aliis bonis
cessit matri suae Aeiae, uti supra patebat ex instru-
mento Aeiae. Itaque Conradus et Machtildis
conjuges convixerunt ab anno 1106, vel ante, usque
ad annum circiter 1125: quo Conradi jam defuncti
mentio fit in instrumento (apud Lubeis C. 63) ~~da~~
referente annum 1124, Indictionem III (quae Indictio
indicat annum 1125, qui etiam rationi temporis ma-
gis congruit). Eo instrumento Machtildi, filia
quondam Purcardi res a se vendita Petro Presby-
tero, ab hoc ipso restituuntur in perpetuum: filii
et omnia, quae et ipsa habere vel detinere visa est
in toto Regno Italico, in Bavaria seu Carintia, atque
Forojulii vel ubiumque ei pertinet aut pertinere
debet juris sui. In eodem instrumento Conradus
ex Machtilde filios et filias reliquisse dicitur.

VI. De his Conjugibus ait Lubeis Mon. Aquil. f. c. 63: n. 6.
Conradum et Matildem, facile dixerim principales
majoresque Castelli Attempsii aliorumque locorum
dominos, quae Bertoldus Episcopus et Aeia dono
dederant. -- Praecellentior Matildis nobilitas per-
spicue patet, cum filia fuerit Purchardi Marchisii.
--- Conradi genus familiamque ignoramus. An
inter Bavaros Dynastas accenseri debeat, qui Matil-
dem filiam Aeiae Bavaraeae foeminae uxorem duxerit?
Filiorum, quos Conrado genuit Matildes, nomina
latent. Haec quidem Lubeis. Sed inquiramus